

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis


Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XL.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

† Ego *Herimannus Marchio* ad munimentum veritatis horum quæ vidi. & audivi ac certissime cognovi. præsentem kartam sigilli mei impressione roborari ac confirmari feci.



X L.

CONRADUS III. IMP. ECCLESIE LAUSANENSIS
JURA ET POSSESSIONES CONFIRMAT.

ANNO MCXLV.

Ex Ruchati Hist. Pagi Vaud. Ms.

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Conradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus. Iustitie definitio est constantem & perpetuam habere voluntatem unicuique tribuendi quod sibi de Jure competit: Quam virtutem cum omne hominum genus partim a natura partim institutis legalibus edoctum, colere semper & exercere debeat precipue tamen regie dignitati congruit talem animi habitum immutabiliter induere; eis autem personis nostra dignitas in omni pietatis & equitatis defensione propensioem debet adhibere benevolentiam, que divinis sincerius mancipate sunt obsequijs, & nobis in administratione regni sollicitè agentibus & orationis munde beneficio & veracis consilii subsidio & indefessi laboris studio assistunt. Ea propter omnium tam futurorum, tam presentium noverit industria, qualiter nos ob regni nostri

firmam stabilitatem & anime nostre nostrorumque parentum perpetuam salutem, nec non interventu & petitione Amedei venerabilis Laufanensium Episcopi, eandem Laufanensem Ecclesiam sub nostre defensionis patrocinio suscipimus & omnes possessiones eidem Ecclesie pertinentes & nominatim, Muratum, Lustriacum, Corbarissam, Corfie, Cubizacha, Leuconares & quicquid *Dux Rodolfus (a)* ob multas in regnum tempore Predecessoris nostri Heinrici *Imperatoris nefandas Presumptiones, omni divina & humana lege tam vite quam rerum proscriptus & damnatus (b)* & quicquid ipse sui que infra fluvium Sarina & montem Jovis & Pontem Gebennensem & infra montana Jurium & alpium habuerunt, cum omnibus appenditiis, sicut in privilegio prefati Heinrici continetur. Predicto venerabili Episcopo & Ecclesie Laufanensi regia autoritate confirmamus. Preterea omnes donationes a Lamberto, qui eidem Ecclesie utcunque preesse videbatur de rebus Ecclesie factas viribus carere decernimus, Edicto Regali precipientes, ne aliqua persona magna five parva de rebus Ecclesie Laufanensis occasione donationis Lamberti quicquam retinere audeat, sed prefatus Episcopus sui que successores omnes res illas sine alicujus contradictionis molestia deinceps libere ac pacifice obtineant, & ut hec nostra confirmatio rata & stabilis permaneat, hanc inde chartam scribi & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, & testes qui presentes aderant subtus notari fecimus, quorum nomina hec sunt.


(a) Intelligitur Rudolfus Rheinfeldenis Dux Sueviæ & Burgundiæ, Heinrici IV. Imp. æmulus.

(b) Conradi III. Imp. indignatio contra Rudolfum Anticæs. ante 65, annos mortui, hic exprimitur.

Heinricus Moguntinus Archiepiscopus, Albero Trevirensis, Arnoldus Coloniensis, Burkardus Argentinensis, Bucco Wormatensis, Sifridus Spirensis, Wibaldus Stabuli Abbas, Heinricus Hersveldii Abbas, Folkardus Laurizamenfis Abbas, Ruothardus Evarbatensis Abbas, Emico Chonaugenfis Abbas, Fridericus Dux Suevorum & filius ejus Fridericus, Dethelmus Comes de Luxemburg, Emicho Comes de Luningen, Voppo Comes de Hennenberg.

Signum Domini Conradi Romanorum Regis secundi.

Ego Arnoldus Cancellarius vice Heinrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis MCXLV. Indiçtione VIII. Regnante Conrado Romanorum Rege secundo. Anno vero regni ejus VIII. Data est Wormatie in Christo feliciter Amen.



XLI.

CONRADI III. IMP. DIPLOMA PRO ECCLESIA
INTERLACENSI, CONFIRMANS JURA EJUS ET
POSSESSIONES.

A N N O M C X L V I

In nomine Sanctæ & individux Trinitatis; Cunradus divina favente
Clementia Romanorum Rex secundus.

Regali convenit excellentiæ illorum petitioni maxime condescendere, qui pauperem vitam eligentes, religionis cultui operam dantes,
idcirco